

hinc illinc volvunt, usque dum se naturæ atque ingenio Nati quadret. Sic enim Cardanus (f) *Sapientis est, inquit, non solum ex genitura eventum, sed etiam NB. ex eventu genituram alicujus judicare.* Quod etiam circa Nativitatem Christi Petrus de Alliaco, (g) Morinus (h) aliique præstare voluerunt, sed nimis absurdè & incongruè, de quo tamen postea nobis agendum erit.

### §. III.

Patet inde, præcipuum esse in erigendo Themate, ut verum temporis momentum exactè prænoscat, de quo Astrologastri illi anxie sunt solliciti. An vero quæsitum id in Nativitate perspectum habeant, hoc est quod maxime in dubium vocamus. Prodeat unicus qui annum, mensem, ac diem, (de hora ejusque partibus nihil dicam) quo optimus Salvator noster natus est, indigitare possit, & erit magnus Apollo. Lis pendet sub judice, qui etiam controversiam hanc in Chronologicis facile principem tam citò non dijudicare poterit: dantur enim in ea plures sententiæ.

----- *quam sunt*

*Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.*

Ex solo Friderico Husmanno (i) quadraginta Chronologorum opiniones de primo æræ nostræ Christianæ anno à Doctis foveri discimus, in quibus recensendis, dicto loco, omnem navat operam. Alii adhuc plures superaddiderunt, quas non necesse est ordine enumerare, cum rem aliàs intricatam non juvent, sed multò magis implicent. Ut vero in compendium ea redigamus, quæ prægrande exposcunt volumen, placet doctorum sententias præ ceteris probabiles eo recensere ordine, quo Epocham nostram Dionysianam (quæ in annum Julianum XLV exeuntem incidit) vel anticipant, vel sequuntur. Brevitati enim, quantum fieri potest, ubique studebimus, præsertim cum forsitan alio tempore, si Deus vires vitamque concesserit, thema hoc suppeditatâ occasione, prolixius sumus enucleaturi.

### §. IV.

A Dionysio exiguo, Monacho & Abbate Romano, hanc consuetudinem numerandi annos à nato Christo invaluisse, res est notissima; eam tamen natali Christi verò minùs rectè congruere, clarius est, quam ut de eo inter doctiores Chronologos amplius controvertatur. Imo, si Sigeberto Gemblacensi (k) fides habenda, Dionysium hunc suum errorem  
D etiam,

(f) *Segment 6 Apb. 156.* (g) *citante Naudæo in Prolegom. ad Cardani Vitam.*  
(h) *Astrolog. Gall. Præf. Apolog. p. XXII.* (i) *in Epistola ad Electorem Palatinum citante Calvisio cap. XXVII. Isag. Chron.* (k) *teste Vossio de scient. Matb. cap. XL. §. 11. p. 227.*